

.xxviii. ALIA OMELIA IN DIE PALMARUM .

Dominus et<sup>i</sup> prophetam iezechiel<sup>ii</sup> . cum mit-  
teret eum ad predicandum filiis israel dicit . Mitto  
ego te ad filios populi mei . ad gentes apostata  
trices quę recesserunt a me . Patres eorum  
preuaricati sunt pactum meum usque ad diem  
hanc . et filii dura facie et indomabili corde  
sunt . ad quos ego mitto te . si forte audiant  
et requiescant . Tu ergo ne timeas . neque ser-  
mones eorum metuas . quoniam increduli et sub-  
uersores sunt tecum . Uerumtamen ne timeas  
eos . et uultus eorum ne formides quia ego tecum  
sum . Non enim ad populum profundi sermones  
et ignotę linguę tu mitteris . Neque ad populos  
/58v/ multos quorum non possis audire<sup>iii</sup> sermones et si ad illos mit-  
tereris . ipsi audirent te . Domus autem israel nolunt audi-  
re te qui nolunt audire me . Populus enim iste attrita  
fronte est et duro corde . Preceptorem ergo dedi te  
populo huic et audies uerbum de ore meo et annuntia-  
bis eis ex me . Timendum uero ualde est preceptori quod  
sequitur . Si me dicente ad impium non annuntia-  
ueris neque locutus ei fueris ut auertatur ab iniqui-  
tate sua et uiuat . ipse impius in iniquitate sua  
moriatur . Sanguinem autem eius de manu tua requi-  
ram nec uobis blandiora personet cum postea sub-  
dit . Si autem tu adnuntiaueris impio . et ille non conuer-  
sus fuerit ab impietate sua et a uia sua mala ipse  
quidem in iniquitate sua morietur . Sanguis eius super  
caput suum erit . tu autem animam tuam liberasti . Unde

et salomon ne sibi sanguis populus quem regebat  
imputaretur . fili inquit peccasti . ne adicias ultra . sed  
et de pristinis deprecare . et age poenitentiam . Et iterum .  
Ne tardes conuerti ad dominum . et ne differas de die in diem .  
Subito enim uenit ira eius . Quod si dixeris uoce cor-  
uina cras conuertam . ego dicam quare non hodie?  
Caueat unusquisque ne sibi quod ab eodem salomone  
notatur áccidat<sup>iv</sup> . quasi qui excitat dormientem  
de graui somno . sic est qui enarrat stulto sapientiam .  
in fine enim narrationis dicet . quid primum dixeras?  
Audite et alius propheta quid dicat . Absit a me inquiens .  
ut non enuntiem domui iacob peccata eorum . et do-  
mum israel scelera eorum . Dicit enim salomon .  
/59r/ Qui dixerit impium iustum esse maledictus erit in populis .  
Nam qui arguunt meliora sperabunt . Item dicit . Erue eos  
qui ducuntur ad mortem . Et redime eos qui inter-  
ficiuntur . ne parcas . Quia ut ait propheta . Non prode-  
runt diuitiæ in die irae . Iustitia `a` utem a morte liberat .  
Si iustus quidem uix saluus sit . Impius et peccator ubi  
parebunt? Sed . ne nos aliquis incredulus zelo malig-  
nae cogitationis aggrediatur . dicens nos propria  
ad inuentione tales minas uobis incutere . Oppo-  
nemus illi scutum . sanctorum oracula uatum . Uidete quomodo  
unus de illis samuel nomine deo antequam nasceretur  
dedicatus . A dan usque bersabee omni populo israel ue-  
ridicus propheta . Aloquitur primum regem apud  
hebreos uidelicet saulem . per eo quod quædam de man-  
datis domini non compleuerit dicens . Stulte egisti .  
nec custodisti mandata domini dei quæ precipit tibi . quod  
si non fecisses iam nunc preparasset dominus regnum tuum  
super israel in sempiternum . Sed nequaquam regnum tuum

ultra consurget et quia abiecisti sermonem domini abiecit et te ne sis rex . Et scidit dominus regnum israel a te hodie . et dedit illud proximo tuo meliori te . Scito enim triumphator in israel non parcat . et poenitudine non flectetur . uidelicet super duris malorum precordiis . Unde de pharaone dicitur<sup>v</sup> . Indurauit quia non emo`l`liuit . Non ita fecit dauid cum in populo numerando peccasset . Sed pro populis<sup>vi</sup> cum propter hoc in eos plaga<sup>vii</sup> dei desuaret mori optauit . dicendo . Ego sum `qui` peccaui . ego pastor inique gessi . Isti qui oues sunt quid fecerunt ; /59v/ Uertatur inquit obsecro manus tua . contra me et contra domum patris mei . Pro hoc solo<sup>viii</sup> plagam a populo<sup>ix</sup> cessare impetrauit . Nec propter eundum quod scriptura inconsequentibus de filio eius narrat . Fecit inquiens salomon quod non placuerat coram domino et non adimpleuit ut sequeretur dominum sicut dauid pater eius . propter hoc dicit dominus ad eum quia non custodisti pactum meum . et in preceptis meis quę mandauit tibi non ambulasti . dirumpens scindam regnum tuum de manu filii tui . et dabo illud seruo tuo . Id est hie roboam qui et ipse peccare fecit israhel . Longum est transcurrere duritiam cordis filii eius roboam . qui derelicto consilio seniorum qui fuerant cum patre suo de leuigandis operibus in populo . adhesit consilio puerorum qui secum nutriti fuerant . propter hoc recessit israel a semine dauid . Regnauitque in iuda tamen audite . Quid illi scelerato regi . Cuius auaritia et uxoris dolo nabaoth uir iustus et innocens propter paternam uineam oppressus est sancto ore helię prophete minatur dicentis . Occidisti insuper et possedisti . propter ea hec dicit dominus . In loco hoc in quo linxerint canes san

guinem nabaoth . lambent quoque tuum sanguinem .  
Quid de auctore prophetarum isaia dicam . qui in prochemio<sup>x</sup>  
prophetiæ suæ ita loquitur . Audite cęli et auribus  
percipe terra quoniam dominus locutus est filios enutriui et  
exaltaui . Ipsi autem spreuerunt me . Et ideo dicit .  
Cum extenderitis ad me manus uestras . auertam oculos  
meos a uobis . et cum multiplicaueritis orationem -  
/60r/ non exaudiam . et quare faciat ostendit . Manus ait  
uestre sanguine plene sunt . Simulque ostendens  
quomodo placaretur ait . Lauamini . mundi estote .  
et reliqua . sed uos e contrario agitis . Sapientes estis  
ut faciatis mala . bene autem facere nescitis . peruer  
titis iudicium . Iustificatis impium pro muneribus . et iu  
stitiam iusti aufertis ab eo . Oppresso non subuenitis .  
pupillo non iudicatis . et causa uiduæ non ingre  
ditur ad uos . Sed econtrario bouem illius rapitis .  
poenituissetis uos fecissem uobis . Ut si fierent  
peccata uestra ut coccinum quasi nix dealbabuntur .  
et si fierent rubra quasi uermiculus uelut lana  
alba erunt . Nolentibus autem se audire denun  
tial dicens . Uae impio in malum . Retributio enim  
manum<sup>xi</sup> eius fiet ei . Vae qui consurgitis mane ad ebri  
etatem sectandam usque ad uesperam . et opus domini  
non respicitis et opera manuum ei<sup>xii</sup> non consideratis .  
Propterea captiuus ductus est populus meus quia non  
habuit scientiam . et nobiles eius interierum fame  
et siti . non fame panis neque siti aque sed audi  
endi uerbum dei . Propterea dilataum<sup>xiii</sup> infernus  
animam suam et aperuit os suum absque ullo termi  
no . et descendent fortes eius et sublimes eius  
gloriosique eius ad eum . Ibi asor et omnis multitudo

eius et in circuitu sepulchra illius . Et post pauca .  
uisitabo super orbis mala . et contra impios iniqui  
tatem ipsorum . Et quiescere famiam<sup>xiv</sup> superbiam in fide  
lium . et arrogantiam fortium humiliabo . Et molas  
/60v/ leonum confringam . Et post aliquanta rationem  
reddens quamobrem talia minaretur . Ait . quia ini  
quitates uestrę diuiserunt inter uos et deum uestrum . et  
peccata uestra absconderunt faciem eius a uobis ne ex  
audiret . Manus enim uestrę sceleribus pollutę sunt .  
et digiti uestri iniquitate . Labia uestra locuta sunt  
mendacium . et lingua uestra iniquitatem fatur . non est  
qui faciat iustitiam . neque est qui uere iudicet . Dum  
dicit salomon . Diligite iustitiam qui iudicatis  
terram . Hoc unum testimonium . si toto corde serua  
retur . abunde ad corrigendos mores hominum  
sufficeret . Nam si dilexissent iustitiam dilige  
rent utique fontem totius iustitie deum . qui et in lege  
et in euangelio dicit . Diliges dominum deum tuum . et reliqua .  
et item si quis diligit me . Uideamus utrum dicta  
apostoli ad hęc conueniant . Dicit enim . Manifestabitur  
enim ira dei de caelo super omnem impietatem et iniu  
stitiam hominum . eorum qui ueritatem dei iniustitia  
detinent . Deus enim illis reuelauit ita ut sint inexcusa  
biles . Qui cum cognouissent deum non sicut deum  
glorificauerunt aut gratias egerunt . sed euanuerunt  
in cogitationibus suis . Et obscuratum est insipiens  
cor eorum . Dicentes enim se esse . sapientes stulti facti  
sunt . Et mutauerunt ueritatem dei in mendacium .  
et coluerunt et seruierunt creaturę potius quam  
creatori . et quia non habuerunt deum in notitia tradi  
dit illos deus in reprobum sensum ut faciant ea quę non

conueniunt . Repletos omni iniquitate . malitia . ad  
/61r/ulterio . auaritia . rapina . plenos inuidia . homicidio .  
contentione . dolo . susurrores . deractatores . blas  
phemos . alienae rei raptores . pauperum oppresso  
res . deo odibiles . contumeliosos . superbos . elatos . per  
iueros . Maliloquos . perfidos . socios furum . Inuentores  
malorum . Parentibus et magistris inoboedientes .  
insipientes . pacem . odio habentes . bella potius  
eligentes . Sine affectione . sine foedere . sine mi  
sericordia . Haec sunt opera carnis . quę in hoc  
loco et alibi plenius enumerat apostolus . horrendum  
ualde est quod sequitur . quoniam qui talia agunt  
regnum dei non consequentur . Que autem poena fu  
tura est horum a secutoribus in die iudicii . Ostendit  
iohannes in apocalipsi qui dicit . Et diabolus qui sedu  
cebat illos . cum sequacibus suis missi sunt in stagnum ig  
nis et sulphuris . Ibi erit fletus et stridor dentium .  
Uermis eorum non morietur et ignis non extin  
guetur in perpetuum . Sed his de peccatorum mise  
riis uel etiam increpationibus dictis . nos ad explora  
ndam huius tantę festiuitatis hodiernę cęle  
britatem festinamus . ut postea quę gloria istis  
mandata domini seruantibus futura est in fine paucis  
explicemus . Haec igitur dies in qua dominus noster mul  
tis miraculis huic se mundo manifestauit . palma  
rum nomine nuncupatur . Quę ideo hoc nomi  
ne meruit appellari quia plurimi in hierosoli  
mis paschalem expectantes solemnitatem . sicut  
mos erat circa pascha . et maxime anno .vii. illo  
/61v/ uero iubelei expleto . omnes israhelitae illic conue  
niebant . singulis quibusque reddere iussa debita

et redintegrare libera . Hi itaque cum audissent de la-  
zari resuscitatione et de aliis quoque uirtutibus  
quas idem fecerat dominus . sicut conuerti in uinum .  
De modico apparatu plurimos satiare populos .  
mortuos suscitare . Omnis uerbo depellere mor-  
bos . Iesu hierolimam<sup>xv</sup> aduentu cognito . cum floribus  
et palmis et laudibus atque ymnis et omnium iocun-  
ditatum ornatum christo regi magnifice omnium  
regum potentissimo . ab illis omnibus deo priusquam  
pateretur agnito obuiarunt . Ille autem mane  
primo de bethania surgens . quasi rex amicorum  
turba circumdatus per iter montis oliuarum deam-  
bulans hierosolimam petit . Hoc itaque itinere  
plurima signa geruntur . Nam propinquante  
iesu hiericho caecus ut ait marcus repertus il-  
luminatur . Quia uero hiericho luna interpretatur .  
Luna autem mortalitatem nostrę carnis designat .  
Recte dominus hiericho id est passioni et morti pro-  
pinquans unum caecum illuminauit . quia tunc soli  
populo iudeorum lumen euangelii predicauit . tunc  
enim ad discipulos dixerat . Matheus commemorat .  
duos caecos in ualle hiericho repertos . Sanauit .  
Quia uidelicet a mortuis resurgens et in caelos  
ascendens . iudęis et gentibus euangelium predica-  
ri mandauit . precipiens discipulis suis ac dicens .  
Euntes in mundum uniuersum . et reliqua . Nec omit-  
/62r/tendum quod asina et pullus deducti apostolorum uestimentis  
sternuntur. Uestimenta apostolorum legis et euangelii sunt testi-  
monium . Asina et pullus iudaicum et gentilem populum  
designant . quos desuper sedere dicitur quia corda credentium  
super fidem quam predicant apostoli et eorum discipuli supersedet .

Et hoc fuit ut adimpleretur prophetia quę dicit . Dicit  
filię sion . et reliqua . Notandum autem quod turbe quę  
precedebant et quę sequebantur . Osanna clamabant .  
Osann`a` salua nos dicitur . Ab ipso enim salutem et prio  
rem quesierunt . et presentes quęrunt . quoniam ipse una  
spes una fides est precedentium atque sequentium apos  
tolorum . Cum intrasset autem hierosolymam . commota  
est ciuitas dicens . Quis est hic . populi autem dicebant .  
Hic est iesus propheta a nazareth galileę . Et intrauit  
iesus in templum . et cum fecisset quasi flagellum de funi  
culo eiciebat omnes uendentes et ementes de templo  
dicens illis . Scriptum est domus mea domus orationis  
uocabitur . et accesserunt ad eum cęci et claudi in tem  
plo et sanauit . Mirum ualde est ; Et si illos de templo  
eiecit qui sacrificia quę sibi immolarentur uende  
bant et emebant . quid putatis fiet illis qui ad suę  
iniquitatis rapinam loca deo consecrata irrum  
punt atque diripiunt? Certe et ueniet illis quod alibi  
propheta exterminatoribus hierusalem optat euenire  
dicens . Effunde iram tuam in gentes quę te nonno  
uerunt . et in regna quę nomen tuum non inuocau  
erunt . quia deuastauerunt possessiones iacob et locum  
eius desolauerunt . Ueniet autem tempus quando  
/62v/ dominus uindictam . electorum suorum faciet . Et tunc gaude  
bunt cum sint audituri . Cecidit cecidit babilon magna .  
et facta est habitatio dęmoniorum . Ruina ciuitatis  
babilonis omnium impiorum cum suo auctore diabolo  
in die iudicii perpetuam damnationem designat . Et au  
dientur de ea . Reddite illi sicut ipsa reddidit uobis .  
Et duplicate duplicia secundum opera eius . quia in corde suo  
dicit . Sed eo regina et uidua non sum . eductum non



uidebo . Ideo in una die uenient plage eius . Et flebunt  
et plangent super eam omnes reges eius qui cum illa fornicati  
sunt . Et dicent . Quid nobis profuit superbia . Aut quid diui  
tiarum iactatio contulit nobis . transierunt haec omnia  
tamquam umbra et cum uiderunt fumum incendii eius dicent .  
Uae uae ciuitas illa magna babilon . quoniam uenit huna  
hora iudicium tuum . Sic et dominus in euangelio ruinam eiusdem  
ciuitatis denuntians dicit . Cum uideritis haec fieri res  
picite et leuate capita uestra . Id est exhilarate cordet<sup>xvi</sup> quoniam  
iudicauit deus iudicium uestrum de illa . Hoc est illud iudicium  
quod anime sanctorum magno clamore querebant . Vsque quo  
domine sanctus et uerus non iudicas et uindicas causam nostram .  
Nos itaque cauentes ne in ruina illius ciuitatis cadamus .  
Interrogemus iohannem prophetam . quid nobis ad diluen  
das peccatorum nostrorum maculas faciendum sit . Et ille  
nobis denuntiabit dicens . poenitentiam agite appropin  
quauit enim regnum caelorum . Et propheta . prope est inquit  
dies domini . et si tunc prope erat quid nunc reputabitur .  
Primo omnium faciamus quod ait propheta . Preoccupemus  
faciem eius in confessione . et iterum . precinite domino in con  
/63r/fessione . Deferamus igitur munera regi nostro . Id est uiam  
in cordibus nostris . Omnigeni` s` floribus Id est ex operibus iustitię  
ornatam christo domino hierosolymam adeunti preparemus .  
qui cotidie per sanctos suos ad mundi finem festinat . Ubi  
caelestis hierusalem facie ad faciem quibusque electis presentabitur .  
Non illa quę modo ex ligneis et lapideis fabricis condita est ;  
Sed illa de qua dicitur . hierusalem quę edificatur ut ciuitas .  
quę lapidibus uiuis id est ex clarissimis sanctorum spiritibus  
construitur ipsa est ciuitas de qua dicitur . et templum non uidi  
in ea . Dominus enim deus omnipotens templum illius est et agnus . Nec aliud  
est ciuitas quam requies sempiterna sanctorum . Quorum ipse deus unica

domus . lux et requies . Victus et uestitus . honor et gloria .  
Pax et corona est . et postea non esurient neque sitient .  
Et absterget deus omnem lacrimam ab oculis eorum . Et ipsa  
ciuitas non eget sole neque luna . Sed dominus qui est sol iusti-  
tię illuminabit eam . Et porte eius non claudentur per diem .  
nox enim non erit illis . Non enim iam ibi dicitur . Vigilate .  
sed potius uacate et uidete quoniam ego sum dominus . Nec intrabit  
in ea aliquid coinquinatum . Quia iam malis de medio  
segregatis . soli cum christo boni regnabunt . Et ipsa est terra  
de qua dicitur . Credo uidere bona domini . et item . Propterea  
in terra sua duplicia possidebunt . Vbi nemo intrans  
ultra moritur . Mors enim non erit illic . Dolor et gemitus  
excluduntur . Nullus ibi egritudine aut senectute  
pregrauatur . Sed conuiuuit cum angelis semper letus numquam  
tristis . Vbi lux permanet . Et uita regnat sancta trinitas .  
AMEN ;

- <sup>i</sup> et] *corr. by a later hand to ad*
- <sup>ii</sup> iezechiel] *corr. by a later hand to ezechielem*
- <sup>iii</sup> audre] *corr. by a later hand to audire*
- <sup>iv</sup> áccidat] *corr. from áccidac*
- <sup>v</sup> dicitur] *corr. from dnitur*
- <sup>vi</sup> populis] *corr. from pupulis*
- <sup>vii</sup> plaga] *originally plagaga, with the final two letters expuncted through underlining*
- <sup>viii</sup> solo] *one letter erased at the end of solo*
- <sup>ix</sup> populo] *corr. from popolo*
- <sup>x</sup> prochemio] *corr. by a later hand to prohemio*
- <sup>xi</sup> manum] *corr. by a later hand to manuum*
- <sup>xii</sup> ei] *corr. by a later hand to eius*
- <sup>xiii</sup> dilataum] *sic pro dilatatum*
- <sup>xiv</sup> famiam] *glossed by a later hand as famam (?)*
- <sup>xv</sup> hierolimam] *sic pro hierosolimam*
- <sup>xvi</sup> cordet] *sic pro corda*